









27  
1774, 33.  
DISSERTATIO  
DE  
CORONA NUPTIALI  
VI COMPRESSAE HAUD  
DENEGANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
PÜTTMANN O

966  
V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR, ORDINAR  
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. II. MAII MDCCLXXIV

H. L. Q. C.

AD

DISCEPTANDVM  
PROPOSITA

A


BENIAMIN. GOTHOFR. WEINART

DOHNA-MISNICO

---

LIPSI AE

EX OFFICINA LANGENHEM





ΕΡΙCΤΕΤΥS

Ἡ Φιλοσόφου τάξιν δὲ ἐπέχει, ἢ ἰδιώτης.





DISSERTATIO  
DE  
CORONA NUPTIALI VI COMPRESSAE  
HAUD DENEGANDA.



Antiquissimum morem esse coronandi spon-  
sasque, non modo veterum scriptorum  
loci testantur quamplurimi, sed vno etiam  
ore confitentur, quotquot de coronis scripserunt, omnes, e  
quibus nunc CAR. PASCHALIVM, IOACH. IOA. MA-  
DERVM, et MART. SCHMEIZELVM nominasse sufficiat.  
Pertinent eo verba regum sapientissimi *Cantic. III. 11. Pro-  
dite et spectate, Sioniae feminae, Solomonem coronam gestantem,  
qua cum sua mater, eius sponsaliorum et animi voluptatis die, co-  
ronavit, PLAVTI item *Casim. IV. 1. 9.**

*Villitius hic autem cum corona, candide  
Vestitus, laute exornatusque ambulat,*

nec non CATVLLI 59. 6.

*Cinge tempora floribus  
Suaue - olentis amaraci,*

SIDONII denique, (vt alios iam praeteream,) *Lib. I. Ep. 5.  
Iam quidem virgo tradita est, iam corona sponsus, iam palmata  
consularis, iam cyclade pronuba, iam toga senator honoratur.*

A 2

Dis-





Displcebant quidem coronae illae nuptiales primae Christianis ecclesiae, idque odio gentium, vt praeter alios testatur TERTULLIANVS de *Corona cap. III. Coronant et nuptiae*, inquit, *sponfos, ideo non nubamus ethnicis, ne nos ad idololatriam vsque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt. Habes legem a patriarchis, habes Apostolum, in Domino nubere iubentem.* Nihilo tamen minus postea, pace Christianis reddita, adeo rursus inualuit antiquus ille desponsatos coronandi mos, vt in vetere, quod vocant, euchologio  $\epsilon\epsilon\Phi\acute{\alpha}\nu\omega\mu\alpha$  pro nuptiis, apud THEOPHANEM in *Chronico* autem  $\epsilon\epsilon\Phi\acute{\alpha}\nu\iota\tau\alpha\gamma$  pro coniugio nexis occurrant, vt in *Glossario* suo iam adnotauit CANGIUS, *Tom. I. p. 594.* Formulam, in eiusmodi coronatione recitari solitam, hanc exhibet IAC. GOARVS in *eucholog. graecor. p. 324.*  $\Sigma\tau\acute{\epsilon}\Phi\epsilon\tau\alpha\iota$   $\acute{o}$   $\delta\omicron\upsilon\lambda\omicron\varsigma$   $\tau\omicron\upsilon$   $\Theta\epsilon\omicron\upsilon$ ,  $\acute{o}$   $\delta\epsilon\iota\upsilon\alpha$   $\tau\eta\eta$   $\delta\omicron\upsilon\lambda\eta\eta$   $\tau\tilde{\epsilon}$   $\Theta\epsilon\omicron\upsilon$   $\tau\eta\eta$   $\delta\epsilon$ :  $\epsilon\iota\varsigma$   $\tau\acute{o}$   $\acute{o}\nu\omicron\mu\alpha$   $\tau\tilde{\epsilon}$   $\pi\alpha\tau\rho\tilde{\varsigma}$   $\kappa\alpha\iota$   $\tau\omicron\upsilon$   $\upsilon\iota\acute{o}\tilde{\upsilon}$   $\kappa\alpha\iota$   $\tau\omicron\upsilon$   $\acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\upsilon$   $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$ , cui similis deinde in femina quoque coronanda adhibebatur. Meminit ritus illius etiam ecloga legum, iussu LEONIS et CONSTANTINI scripta, quae nondum edita latet in Amplissimi Senatus Lips. bibliotheca, *Tit. de sponsal. f. 10.* qui locus e versione GOTFR. MASCOVII in *Diff. de Collat. honor. f. 18.* ita sonat: *Si quis autem dictis sponsalibus intra aetatem tredecim annorum factis audeat sponsis sic dictam benedictionem sacerdotalem, aut seruum dare, tamquam violatis diuinalibus constitutionibus statim haec festinata sponsalia vna cum dissolvente eas copula haec soluuntur.* Quid igitur mirum, si verus ille mos ad nostra vsque tempora perennauit, adeo, vt nulla fere hodie sit Christianorum sacris addicta gens, apud quam coronarum nuptialium vsus haud supersit. Digni autem coronae honore omni tempore illi tantum visi sunt, qui castitatem ad matrimonium vsque seruauerunt, deque hoste, intus qui latet, periculossimo, prauis puta cupiditatibus, victoriam reportarunt. Sic bigamos  
 haud





haud coronari, iam legimus in NICEPHORI Confessoris *can. 10.* et quis rerum patriarum tam imperitus est, quem fugiat prohibitio legis nostrae nuptialis §. 4. in *Nou. Corp. Iur. Eccl. Sax. p. 621.* *Wo zwei verlobte Personen vor dem öffentlichen Zusammengeben und Trauen sich mit einander fleischlich einlassen, so soll die Weibs-Person, wenn gleich keine Schwängerung daraus folgt, mit verdecktem Haupt und ohne Spiel zur Kirchen gehen.* Quae cum ita sint, saepius cum nostris tum maiorum temporibus quaesitum fuit, debeatne vi etiam stupratus

*praecingi roseo tempora vinculo,*

an illae ferti nuptialis honore indignae censendae sint? Qua in re etsi negantium fere obtinuit opinio, mihi tamen illa adeo semper iniqua et a ratione iuris aliena visa est, ut coronae honorem nuptialis Lucretiis nostris vindicare operae pretium esse existimarem. Ait autem CARPZOVIVS *Rer. Crim. P. II. Qu. 75.* coronam esse signum virginitatis non animi, sed corporis, hancque per vim etiam stupratam amisisse, neminem ire posse incicias: prius autem vel inde patere, quod nec viduae, nec mulieres coniugatae, quantumvis castitatem colentes, coronae gerendae ius habeant, sed velo (cuius fere in locum nunc comae illae, aedium altitudinem aemulantes successerunt,) caput tegere iis necesse sit. Quum igitur, inquit, virgo vi stuprata corporis virginitatem amiserit, neque fertum aut coronam ei portare licebit, atque in eam sententiam aliquoties pronunciatam fuisse testatur: *dass die genothzüchtigte Person des Cranzes sich zu enthalten schuldig.* CARPZOVIO adstipulatur BERGERVS in *Oecon. iur. p. 612. edit. nouiss. Feminae,* inquiens, *per vim stupratae ius gestandi coronam, tamquam signum virginitatis corporalis, non competit, arg. c. 14. caus. 32. qu. 5.* idemque cum multis aliis vulgaribus erroribus repetiit ZACH. RICHTERVS *Inst.*





*Iur. Crim. Cap. XVII. p. 107.* Quis autem, o boni! sertum nuptiale signum virginitatis corporalis dicere vos docuit? Fallitis profecto, atque fallimini, quicumque tam peruersam serio propugnatis sententiam. Dudum, si mens haud laena fuisset, meliora discere potuissetis a CHRYSOSTOMO *Homil. IX. in cap. III. Ep. 1. ad Tim. Quid enim, inquiens, sibi vult corona? Ut ostendant coniuges, se usque ad id tempus victores cupiditatum fuisse.* Eandem ob causam in vetere quodam rituali, quod citat MADERVS de *coron. nuptiar.* p. 66. corona *μωδός σοφροσύνης* nuncupatur, quia scilicet puri coniuges ad nuptias a Deo sancitas conuolarunt. Rectius igitur CARPZOVIO eiusque asseclis sapuit ENGAVIVS in *Elem. Iur. Germ. p. 197.* scribens, corona nuptiali libidinum victoriam significari. Quod si verum est, quis iam vi etiam stupratarum caput coronare dubitabit? Quid enim? An illae cupiditatum stimulis succubuerunt? An sponte virginitatis iacturam fecerunt? Nihil minus! Ut potius, postquam reluctando fecerunt, quod ex centum vix vna aut altera fecerit, propter tam raram nostro praesertim seculo virtutem non vna, sed duplici corona dignae mihi esse videantur. Bene hoc vidit s. LVCIA, quippe quae, ut refert GRATIANVS *caus. 32. qu. 5.* PASCHASIO fertur dixisse: *Si inuitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quemadmodum, qui numquam aciem vidit, frustra fortitudinem iactat miles, sic parum, ni fallor, feminae, a nemine tentatae, castitatis fidendum esse videtur. Facile, ut OVIDII *Am. l. 8. 43.* verbis vtar,

— — *casta est, quam nemo rogauit.*

Sin fortiter resisterit impudicorum illecebris,

-- velut



— — velut rupes, vastum quae prodit in aequor,  
Obuid ventorum furiis, expostaque ponto,  
Vim cunctam atque minas perfert coelique marisque,  
Ipsa innotata manens, —

ohé! iam grande facinus edidisse mihi videtur, atque, vt  
elegantè ARRIAN. *Diff. Epictet. L. II. c. 18.* longe lau-  
dabilius, quam solutor *Pseudomeni* et *Quiescentis*. Atque sic  
sponte sua patet, nullam plane hic corporis virginitalisque,  
sed animi tantum rationem habendam esse. Pueriliter quip-  
pe philosophantur, qui corporis inter et animi castitatem  
distinguendum esse existimant, propterea quod castitas poni-  
tur in numero virtutum, quarum animus quidem, corpus  
haud aequè, capax est. *Castum* quidem *corpus* occurrit apud  
SENECAM *Hippolyt. v. 907.* et alios passim, sed haud aliter, ni  
fallor, ac *casta domus* apud HORATIVM, *castum ferrum*, quo se  
interfecit LVCRETIA, apud OVIDIVM, *castum nemus* apud TA-  
CITVM, quod nemo facile proprio sensu acceperit. Hinc re-  
cte ii, qui LVCRETIAM olim, aegram animi, consolabantur,  
teste LIVIO *Lib. I. cap. 58.* noxam a coacta in auctorem de-  
licti auertentes, dicebant, *mentem peccare, non corpus, et unde*  
*consilium absuerit, culpam abesse*, dudumque risum intelligentio-  
ribus praebuit cultro se ipsa occidens LVCRETIA, adeo vt  
haud iniuria hocce in eam nonnemo luserit epigrammate:

*Si tibi sorte fuit, Lucretia, gratus adulter,  
Inmerito ex merita praemia caede petis,  
Sin potius casto vis est allata pudori,  
Quis furor est, hostis crimine velle mori?  
Frustra igitur laudem captas, Lucretia: namque  
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.*

Verissime





Verissime SENECA Hippolyt. v. 732.

*Mens impudicam facere, non casus, solet,*  
 et LACTANTIUS *Inst. L. VI. c. 23. Mens est*  
*profecto, quae peccat, quae immoderatae libidinis fru-*  
*ctum cogitatione complectitur: in hac crimen est, in*  
*hac omne delictum. Nam etsi corpus nulla sit labe maculatum,*  
*non constat tamen pudicitiae ratio, si animus incestus est, nec illiba-*  
*ta castitas videri potest, ubi conscientiam cupiditas inquinavit.*  
 Eadem philosophia fuit D. AVGVSTINI, AMBROSII,  
 CHRYSOSTOMI, atque HIERONYMI in c. 1. 3. 6. et 10.  
 caus. 32. qu. 5. quorum verba legisse, neminem, rem iusta  
 lance ponderantem, poenitebit. Apposite 10. SARESBERIEN-  
 SIS de nug. curial. III. 13. *Pudicitia auferri non potest, nisi mentis*  
*corruptio antecedit. Quod enim, ut magnus asserit Augustinus,*  
*non praecedente libidine violenter patitur corpus, vexatio potius*  
*dicenda est, quam corruptio. Sed audio auctoritatem nobis*  
 opponi LEONIS Pontificis, in c. 14. caus. 32. qu. 5. ita scri-  
 bentis: *Illae autem famulae Dei, quae integritatem pudoris op-*  
*pressionem barbaricam perdidere, laudabiliores erunt in humilitate ac*  
*verecundia sua, si se incontaminatis non audeant comparare virgi-*  
*nibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur, et*  
*potuerit corruptione carnis mens invita non pollui, minus tamen*  
*eisdem oberit, si, quod potuerunt animo non amittere, doleant*  
*se vel corpore perdidisse.* Vbinam autem vlla hic coronae nup-  
 tialis mentio? Consilium praeterea audio, legem sanctio-  
 nemue nullam video, adeo, vt plane haud intelligam, quo  
 iure vti hoc argumento, dicam an abuti, contrariae defen-  
 sores sententiae possint. Taceo iam, Pontifices haud opti-  
 mos semper fuisse castitatis aestimatores; alioquin sane adul-  
 terium minora inter crimina haud retulissent, quod merito  
 improbant CVIACIVS ad *Decretal. Tit. de iudic. et ANT.*  
 MATTHAEI de *crimin. p. 35.* Sed quis miretur, sanctis-  
 simos



sumos patres ei maxime indulgisse vitio, in quod ipsi se haud parum proclives sentiebant? Confundunt praeterea aduersarii nostri nuptialem coronam cum virginali, quas tamen confundendas haud esse, optime docuerunt, quos initio laudauimus, scriptores. Virginali decorabantur incorruptae puellae, antequam animum ad matrimonium appellerent, nuptiali contra sponfus sponsoque, ipso nuptiarum die; et magnopere vereor, ne, si vim passae capiti detrahamus

— — *haerentem magna cum laude coronam,*

innoxiam plectamus, ipsaque inter nuptiarum sollemnia sponso infortunium sponsoe suae in animum reuocemus, efficiantes, vt minus fortasse eam aestimet, quae, quantum per ipsam stetit, intemeratam illibatamque suam per tot annos seruauit integritatem. Quid autem iniquius, immo quid iniustius est, quam eam plectere, quae nihil deliquit? Eleganter AVSONIVS *Epigr. XVI.*

*At tu, — peccantia membra coërce.*

*Iniustum, falsos excruciare reos.*

Nonne quotidie fere multas coronari patimur, quas tamen honore illo plane indignas esse scimus omnes, quaeque ipsae, vmquam se fuisse virgines, se recordari non posse, si verum fateri velint, haud diffitebuntur. Vereor sane, ne, si seueri vellemus esse iudices, non nisi paucissimae toto anno aram tangere coronatae possint. Cur autem

*Dat veniam coruis, vexat censura columbas?*

Neque me mouet, quod aiunt aduersarii, bigamas quoque ferto nuptiali haud decorari. Quis enim tam caecus est, quin discrimen inter vim passas, et secundas festinantes nuptias perspiciat. Hae priori marito succumbentes sponte vltroque virginitati nuncium miserunt, illae non nisi

B

inui-





inuitae, quod auertere haud possunt, patiuntur, et cum s. AM-  
BROSIO in r. 2. caus. 32. qu. 5. nobis occlamant: *Reuera non pot-  
est caro corrumpi, nisi mens antea fuerit corrupta.* Haec om-  
nia tamen de iis tantum intelligi volumus, quae reluctante  
animo atque corpore veram vim passae sunt, nequaquam  
autem de ea, cui grata vis illa fuit, quaeque

*Quum — ita pugnaret, tanquam quae vincere nollet,  
Victa est non aegre proditione sua.*

Debuit igitur, vt iam LEYSERVS Sp. 584. monuit, reni-  
xus mulieris non modo serius, sed constans etiam fuisse, fru-  
straque de stupro violento queritur, quae, etsi principio  
fortiter reluctata est, tandem tamen, manibus parcens,  
stupratoris voluntati consensit. A risu mihi nuper tempe-  
rare haud poteram, cum alicubi relatum legerem, femi-  
nam quandam, de vi ipsi illata querentem, interrogatam-  
que, cur, vtpote iuencula, viribusque valida, diutius  
fortiusque haud restiterit, nihil respondisse, nisi hoc: se  
quidem alias viribus haud parum valere; quamprimum au-  
tem risus sibi moueretur, quantocyus debilem fieri, viri-  
busque omnibus penitus destitui. Ego quidem de stupro  
violento querenti vix fidem habebō, nisi clamore violentiae  
vsa sit, idque aut testibus, aut iureiurando probatum de-  
derit. Quod si mihi haud credis, facile, spero, credes  
IO. CAR. HENR. DREYERO in Diff. de cespitalit. requisit.  
in testibus p. 41. In Capitular. Reg. Franc. Lib. VI. §. 47.  
legimus: *Si quis puellam virginem desponsauerit, et inuenerit  
eam aliquis in ciuitate, et concubuerit cum ea, adducas utrosque  
ad portam ciuitatis illius, et lapidibus obruentur; puella, quia  
non clamauit, cum esset in ciuitate; et vir, quia humiliavit eam;*  
in antiquis quibusdam statutis apud D' ACHERY T. III. p.  
612.



812. autem haec: *Si puella vel aliqua mulier dicit, sibi fuisse violentiam illatam ab aliquo in tali loco, ubi potuit clamare et audiri ab aliquibus, si non clamauerit, non debet ei credi; quibuscum etiam plura alia iura, quae vocant, statutaria, a DREYERO laudata, conueniunt. Sed quid, inquis, ad nos Regum Francorum capitularia, quid antiqua illa statuta, quid, quae tu nobis memoras, reliqua? Ego vero idem, quod veteribus illis legibus cautum inuenio, rectae etiam rationi, etsi nullo iure sancitum esset, consentaneum, ideoque, nisi singularis causa aliud postulet, haud facile negligendum censeo. Quomodo enim quaeso illa de stupro violento queri poterit, quae propinquos aut vicinos in auxilium haud vocauit, vimque sibi fieri clamore haud fuit testificata? Sed haec de re alibi forte latius.*

Finio iam, postquam dixero, ipsum CARPZOVIUM in *Iurispr. Consistorial. L. II. T. 14. def. 237.* haud adeo in priore perstitisse sententia, quin rem ita temperandam existimaret, vt neque malo exemplo offendatur christiana respublica, neque stupratae, iamiam afflictas, noua addatur afflictio. Quis autem nostrae accedere dubitabit sententiae, si rescriptum a SERENISSIMO quondam SAXONIAE ELECTORE a. d. 4. Mart. 1635. ad SEBASTIANVM HOMMELIUM, Archidiaconum tunc Chemnicensem, datum legerit, cuius verba apud CARPZOVIUM ita se habent: *Als bey uns ihr um Information angesuchet, weisen ihr euch gegen die vom Feinde genothzoegte Weibesperonen bezeigen sollet, lassen wir euch zum Bescheid unverhalten, dass in solchen Faellen behutsam zu gehen, insgemein alles scrupuliren und nachgrübeln einzustellen, die vorhin Betrübten nicht weiter zu betrüben, sondern vielmehr auf begebende Facle mit gebührllichem Trost aufzurichten, der Feinde verübte Unthaten mehr mit dem Mantel der Christlichen*





Liebe um der beleidigten Personen willen zuzudecken, als auszubreiten, und die nothgezögten an ihrer Ehre, Namen oder Gewissen nicht vorsetzlich zu gefährden seyn. Begübe sich aber bey einer oder der andern Person etwas sonderliches, so wollet ihr uns jedesmal die Umstände ausführlichen berichten, und unsere Resolution darauf erwarten. Eant iam, et capita inter se conferant, qui diuersam a nostra propugnant sententiam, simul autem a p. s. y. x. o. discant, vbi discrimen inter, bonos malosque sublatum, fuerit, ibi tantum non semper confusionem vitiorumque consequi eruptionem.














VD  
18

ULB Halle  
002 689 030

3









1774, 33.

DISSERTATIO  
DE  
CORONA NUPTIALI  
VI COMPRESSAE HAUD  
DENEGANDA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
P V T T M A N N O


*P 398* V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR  
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. II. MAII MDCCLXXIV  
H. L. Q. C.

AD  
DISCEPTANDVM  
PROPOSITA

A  
BENIAMIN. GOTHOFR. WEINART  
DOHNA-MISNICO

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEM



H  
A  
RI  
ontr  
inf  
auc  
EN  
que  
rat  
ent  
I. d  
is  
esc.  
riei  
mo  
ha  
RG  
co  
ibi  
c ba

